

Q. 526, 32.

X 1903832

B. m. II, 489

II n
8931

CHRISTOPHO-
RI-ADAMI VVENZE-
LIK A SARABIZ IN
TRISCH

PARENTATIO,
Consecrata perpetuæ memoriæ & laudibus,
Cl. & summi viri
CONRADI RITTERSHUSI
Jcti, Antecessoris & Consilarii Norici
celeberrimi,

ALTORFI-NORICORVM
PRID, KAL, JUL.



ANNO MDCXIII.

Vivo D. Henrico Schuzio MCCXXXIII amico
15. Aprilis 1613



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





GENEROSO ET MAGNIFICO. D.

D. SIGISMUNDO-MATTHIÆ
WENZELIK à SARABITZ INCAMENITZ
ET CHINOVAU &c. DOMINO PATRVO
ET TVTORI MEO DEVOTE

COLEND O.

Non debuit nisi tuis auspiciis stipatum, hoc parentale scriptum in publicum egredi; quippe cum neminem adesse viderem, cui magis deberem, & cui gratius accideret, quam T. G. qui, mihi Patruus, tutor, & ut uno verbo absolvam, PATER es. Tu es, qui, postquam Generosum Dominum Patrem meum, sanctissimæ memoriæ, irata Fata abstulerunt, in eius locum lubens mihi successisti, Tu, de me & meis studiis unicè laborasti. Tibi idcirco, Generose D. Patruæ, debeo amorè obsequium & quæ de me cogitari possint omnia. Te æternū venerabor, & non nisi in tua amoris paterni iucundissimâ memoria vivam, ad quod me semper obligatum sera videbit posteritas. Cum verò antiquis & vetustis Græcorum seculis moris fuisse constet, ut, si quando in Gymnicis certaminibus quis victor ex optatam diu corollam de fronde

A 2

aut


aut luctâ, aut cursu, aut cæstu meruerat, illam ex grati animi indice, sub fornice, DIs, quorum Numine & auspiciis victor promovebatur, suspenderet. Non aliter Ego, qui sub felici amoris & favoris tui tutelâ ad hoc nobile Athenæum pervenerim, ubi hæc in publico nostro luctu dixi, ista, meas primitias tanquam donaria sub nomine tuo suspendo, & tanquã grati animi interpretes devotè consecro. Dicere autẽ hæc nulla sanè elegantis & exercitati sermonis mundicies, nulla pulcræ eruditionis copia, sed unicus pius, in tam Magnum, & de posteris totâq; hæc inclutâ Academia nostrâ optimè meritum VIRUM; affectus iussit. Illi dixi, cuius eruditionis ubertatem in tuo conspectu magnis laudibus prædicari sæpè audivi, Illi, cuius fama non ignobilis per totum terrarum tractum hinc inde vagatur, Illi, cuius & aliorum causâ huc appuli. Velis igitur illud, eo vultu, quo datur á me accipere, & exinde immortalem grati animi mei memoriam recognoscere. Vale, Vale, GENEROSE D. Patruæ, cum dulcissima Domina coniuge & me pupillum Tuum amare perge. Altorfl-Noricorum, Eid: Quint: Anno MDC.XIII.

T. G.

pupillus

Christophorus-Adamus VVenzelick
à Sarabitz in Trisch.

Pul.



DUlcerrimum, Homo, & perfectissimum Creatoris
sui opificium, variis, flebilibus, imò plusquam
Tantaleis, eheu! exercetur, cumulatur & vexatur
miseriis, tristitiis, & arumnis: in tantum, ut & bestia, à nobili ra-
tionis dote planè derelicta in felicitatis negotiò de eò triumphum
institueret videantur, multique inprimis, qui creatorem suum
impiè ignorant, in eam horrendam tartareamque, proh DEVM!
descendant sententiam, ut de vitæ & animæ suæ desperatione
miseri cogitent, & providentiæ DEI neglectò officiò, impiè di-
spulent. Miserrimum verò & ultimum miseriarum est HO-
MINEM MORI, illum, qui propter pulchram rationis præ-
stantiam, nobile ingenii acumen, & sublimem Judicii excellen-
tiam, caelum ipsum, terras, & ex his egressa omnia explicare,
interque horum causas & effecta possit penetrare; illum, qui,
quæ nondum sunt, & plane nova, illis nasci jubere possit, illum,
qui, supra reliqua omnia summum imperium ab ipsa Naturâ be-
nignè oblatum habeat, illum, qui cum viderit mortalem se in hoc
amplissimum Mundi Palatium intromissum, laborare & inve-
nire possit, quo & post cineres suos mundo amplius vivat. Sunt
hæc certè quæ impiis & stoicis nostris iniqua & nimis dura vi-
deantur. Hinc illas querelas evomunt, hinc cum rerum natu-
ra exigunt, hinc eam de iniquitate & malignitate suâ crebrò in

judicium ad-vocant, hinc ille, hominem dicit esse: fabulã vitæ,
 ærumnarum, fortunæ lusum, & lucernam vento oppo-
 sitam. Verùm, nos, qui non ignoramus homini idem necessariò
 contingere, quòd lanæ, quæ sordidissimis squaloribus in-
 quinator (ut conceptis verbis elegantissimi cujusdam scripto-
 ris loquar) antequam purpuræ fulgor eam imbuat, æquo
 animo ferimus. Nos qui probè scimus, DEVM legem hanc
 generi humano dixisse, hoc supplicii in peccati nostri horribilis
 conspectum ad memoriam perpetuam constituisse in sanctissimo
 ipsius decreto & voluntate, ut par est, magnanimi acquiescimus.
 Ingens ulterius solatium nostrum est, quod tali viâ ad por-
 tum æternæ perfectionis & tranquillitatis nostræ appellimus, ubi
 DEVM nostrum, quem hæctenus in hac vita saltem sicut so-
 lem in aquis, sic ipsum in operibus indirectò contemplati sumus,
 olim directò intuebimur & eternò animi gaudiò perfruemur.
 Illud ultimum publicumque vitæ pensum absolvit & verè sum-
 mum illud bonum modò assecutus est, vir de literis hæcque in pri-
 mis Academiã optimè meritus noster Rittershusius:

Vixit: quem dederat cursum Fortuna peregit.

Minimè certè hic opus erit, ut conducamus Præficas & tibici-
 nes, qui nœnias defuncto cantent, & mercenariis alienisque la-
 crumis Rittershusium nostrum defleant, sicuti priscis tempori-
 bus moris fuisse accepimus. Ipse casus gravissimus & ingens cala-

mitas,

mitas, *vel* *in* *vitis* *pias* *evocat* *lacrumas*. *Quis* *quæso* *lacrumis*
nostris *non* *allacrimetur*? *flent* *ipsæ* *Musæ* *pullatæ* *&* *ferali* *co-*
lore *indutæ*, *quod* *patronum*, *vitam* *&* *animam* *suam* *amise-*
runt. *Nos* *verò* *miseri* *&* *vidui* *Academiæ* *hujus* *decus*, *lu-*
men *&* *ornamentum*, *doctorem* *&* *ductorem* *nostrum* *in* *melio-*
ri *animi* *cultu* *lagemus*. *Quid* *verò* *in* *tristi* *istâ* *luctus* *scenâ*
faciemus? *sumus* *eò* *in* *locò* *ubi* *laudum* *ipsius* *verarum* *catalo-*
gum *exhibere*, *ubi* *nominis* *mèmoriam* *invocare*, *ubi* *sacrum* *per-*
petuum *posteritati* *ponere* *debemus*. *Quod* *si* *mibi* *supra* *ho-*
minem *quid* *datum*, *vix* *par* *essem*, *tanto* *aternitatis* *membro*
sufficientes *laudes* *dicere*. *Cùm* *verò* *adolescens* *adhuc* *sim*, *qui*
nondum *Prætextam* *deposuerit*, *&* *in* *forum* *productus* *sit*, *qui-*
que *nullam* *omninò* *suppellectilem* *eloquentis* *sermonis* *sibi* *com-*
paraverit, *metuo* *ne* *quo* *plura* *velim* *ac* *debeam* *dicere*, *&* *quo*
plura *enumerare*, *plura* *taceam*. *Multò* *igitur*, *multo* *inquam*
satius *foret* *silere*, *quàm* *multa* *dicendo* *parum* *dicere*, *&* *laudum*
magnitudinem *eloquentiæ* *inopiâ* *deterere*. *Verùm* *præstemus*
quod *possumus*, *&* *ingenii* *potius* *suscepto* *negotio* *imparis*, *quàm*
officii *neglecti* *aleam* *subeamus*. *Vos* *ergò*, *Nobilissimi*, *&*
Amplissimi *Academiæ* *hujus* *Curatores* *&* *Tutores*, *Ma-*
gnifice *D N.* *Rector*, *Generose* *D N.* *Baro*, *Clarissimi* *&*
Excellentissimi *Academiæ* *nostræ* *Patres*, *præstantissimi*
doctissimique *hospites*, *Nobilissimi* *&* *Florentissimi*
juvenes, *sollicito* *perque* *sanctos* *piè* *denati* *manes* *rogo*, *ut* *in*
æternam *amoris* *&* *benevolentiæ* *vestræ* *in* *defunctum* *significa-*
tionem

tionem linguis causeque faveatis, & laudes ipsius, quamvis in-
conditâ voce prædicatas, compressâ voce benignè audiatis.
Mihî verò propter pium affectum erga Doctorem nostrum, vi-
ram omni gloria sublimiorem laudare & caram ejus memoriam
excitare volenti veniam impertiamini, & si minus susceptum
officium, (quod certè ita auguror futurum) præstare valeam,
adolescentiæ meæ & paupertati loquentis humaniter ignoscite.

Ducam autem sermonis mei vestibulum ab ipsis rerum in-
cunabilis, quibus vitam est exorsus, ~~quod~~ quæ cum altâ mente
intueor, comperior maturam & insignem fortuna simul & na-
turæ benignitatem, quæ tam largâ & liberali manu in nostrum
Doctorem suas omnes ferme opeis contulerunt. Magna enim
ipsorum præmia sunt, quod multorum principum natali anno in
lucem hanc prodire jussus, quod celebrem patriam dederunt, cla-
ros parentes quod concesserunt, quod denique caput est, perrare
virtutis ac doctrinæ amorem quod instillarunt. Natus ergo no-
ster arcano fatorum consilio XXV. VIIbris anno M. D. LX.
quo magna & excelsa Germaniæ nostræ gloria Melancton, feli-
cissimæ memoriæ, vivere, eheu! defuit. Ille cujus laudes nullius
laudatione crescunt, nullius vituperatione diminuuntur, habet
enim plures buccinatores quàm Penelope procos, quam Helena
encomiastas, imò totam Europam amplissimum laudum suarum
theatrum. Fuit sanè annus ille veluti fatalis, in quo tot Illu-
strissimi principes CL^{mi} viri lucem & viderunt & relique-
runt. Nati sunt Christianus I. Saxonie Elector, Carolus
comes

comes Palatinus Rheni, Ernestus-Fridericus Marchio Ba-
 densis, Janus Gruterus Antuerpianus excellentissimus no-
 stri ævi Philologus & IC. Casparus Bauhinus præstantissi-
 mus Basileæ Medicus. Denati verò Franciscus II. Gallia
 Rex, Suecia Rex Gustavus, Maria Scotia Regens, Philippus
 Pomerania Dux, Melanchton, ut nuper mentionem fecimus,
 ejusque gener Georgius Sabinus, Petrus Lottichius secun-
 dus, uterque Poëta & Medicus insignis, jurium denique sacro-
 sanctarum LL. lumen & columnen, recti & æqui asylum tutissi-
 mum, summus nimirum Alexander Monsignanus, & permul-
 ti alii. Natale solum sive patria unanimi fatorum suffragiò de-
 signata eidem Brunopolis totius Saxonicae terræ metropolis, imò
 propè centrum, arcanum in hoc fuisse videtur vaticinium, quod
 nunc completum, quod uti illa Saxonica centrum, ita ille noster
 sapientiæ ac literarum futurus esset. O magnam civitatem, tan-
 to edito viro majorem, educato maximam! quia ubicunque ter-
 rarum Rittershusi tui scripta legentur: ibi quoque in partem lau-
 dis & celebritatis nobilis Brunsviga venies. Nescio idcirco
 plus ne patria tibi, an tu patriæ debeas, quod illa tibi vitam, tu
 illi immortalitatem dederis, & non minus aliquando glorieris,
 ac quondam terra Cretensis incunabulis parvi Jovis. Ut ve-
 ro in locò celeberrimò ipsum nasci oportuit, ita etiam honestissima
 majorum serie id fieri debuit, quo homini ad sublimia nato nihil
 deesset. Patrem itaque nactus est Balthasarum, ICtum &
 collegii ibidem Basiliani Canonicum, virum ob nobiles animi
 B. dotes

dotes magnâ apud magnos Duces Brunsvicenses gratiâ flo-
 rentem. Avum adeptus Henricum Ducum Brunsvicensiû
 & Luneburgensium in aula Zelleni Secretarium prudentis-
 simum: matrem verò matronam piissimam, Bergii, felicitis me-
 moriæ, viri laudati ac honesti filiam. Quemadmodum itaq; pa-
 ter eruditione rerum usu & experienciâ excellens, artium peritia
 instructus, omnisq; generis scientia tinctus erat, ita etiam recon-
 ditos solidæ & abstrusæ literaturæ thesauros filium invenire sata-
 gebat. Primitias itaq; ætatis Musarû sacris in schola patria ini-
 tiari voluit, cujus sacerdos tunc temporis fidelissimus avunculus
 ipse Matthias Bergius V. CL. extitit, qui paulò post celeberrimæ
 hujus Academiæ singulari cum laude, Ethicæ & Græcæ lin-
 guæ professorem egit. In patriis verò Scholis laudatissima artium
 liberalium tyrocinia ^{ita} deposuit, ita primas literarum lineas duxit,
 ut majoris doctrinæ effigies illis includi possent, utque multos de
 maturò eruditionis augmētō in sui admirationem traheret, in sui
 laudem deduceret, in sui amorem pelliceret, pulcerrimâ deniq; ac
 suavissimam studiorum æmulationem excitaret. Pater itaq; pro-
 fectus filii animadvertens recusabat huic hereditariæ ad bonas
 literas excellētiae ne minimo quidem impedimento esse, aut studio-
 rum ejus cursum sistere. Videbat enim Optimus ille pater, quam
 miserimum esset unum aliquem in hoc Clarissimo eruditorum or-
 be vivere eruditionis exulem. Maturius ergò ad loca illa ablega-
 bat, ubi facilius studiorum circulum absolveret, ubi ingenium feli-
 cius acueret, judicium conformaret, ubi disceret aliquando homi-
 nibus

7

nibus prodesse, & tandem benè vivere inchoaret, more à seculi nostri quibusdam impiis parentibus omninò alienò, qui seposita suorum cura tantum nummi negotium agunt, nè quid perdant, suos in claustris tanquam incarceratos servant, putantes ejusmodi latebras & speluncas etiam sine doctore incolas suos doctos efficere posse: verùm turpissimè sua opinione decepti excidunt. Nam ut consentiamus acquirere hos aliquam vel etiam summam cognitionem, tamen tantum illis prodest nec magis finem suum assequuntur, quàm qui febriunt jactantes & verfantés se in quiete, & lectum vanâ spe levamenti mutantés, tantum inquam perficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos, imò cruda studia in forum propellunt. Sed nè benignitate vestra, Auditores omnium ordinum splendidissimi, diutius abutar, ad Rittershusium redeamus.

Missus is in Ducis sui Brunsvicensis nobilem Helmstadianam Academiam, non Baccho, non Veneri, nec iis omnibus quibus hominum mores gaudere consueverunt, operam dedit, verum sublimius quid spirans, DEO, virtuti, & Musarum sacris diligentissimè operatus fuit, iis maturè & seriò se dedit, sine his enim quasi mortuum ducebat sese, non aliter ac mare, quod absque vento & motu mori creditur, Non erat cunctator, non negligens studiorum tractator, non denique hoc agebat, ut pulcerrimum (August.) & fragrantissimum

vernantis juventutis florem Diabolo, fætidas verò decrepitæ & fordidæ senectutis feces DEO consecraret, *Vigebat ea tempestate ibi excellentissimus IC. Johannes Borcholtus; hunc cum aliis Rittershusius vehementi animi fervore audiebat, ejusque ope & consiliis creberrimè in studiis utebatur (habebat enim noster illum Borcholtum fidelissimum juris interpretem, non aliter quàm amussim, ad quam jura legesque mensurare posset:)* inde factum est ut reciproco vicissim amoris affectu Borcholtus nostrum prosequeretur, quippe in quo singularem animi integritatem, subnascentem in magnam spem eruditionem, & denique insignem virtutum alacritatem non obscure cernebat. *Illinc anno M. D. XIIIXC. IV. Altorfium nobile Magni senatus Norici Athenæum venit, ubi illustria duo juris lumina Hugo Donellus, & Hubertus Giphanius resplendebant, quorum uterque immortalitati divinam suam eruditionem devotè consecravit. Hos noster penè parentum loco suspiciebat, illis reverentiam, obsequium & officia exhibebat, ita ut ab illis pariter in modum Filii amaretur. Videbant enim hunc eruditionis suæ heredem non indignum futurum, à quo cathedra sua aliquando insideretur. Nec eventus defuit, hæc enim ipsa Academia eum ad celsum eruditionis fastigium ascendere jussit, hæc humanioris litteraturæ thesauros, & juris peritiam summam atque excellentem suppeditavit, hæc ipsum supra multos retrò eruditos sapere fecit. Inde Ingolstadium cum Giphanio concessit forsàn illustri Nobilissimi & Excellentissimi*

tissimi

tissimi Icti Fachinei famâ compulsus, aut quod verius, Præ-
 ceptoris CL. & alterius Patris amore abreptus; splendebat enim
 ibi inter alios, non aliter ac solinter suas minorum gentium stel-
 las, & non secus atque toti mundo lucem & splendorem Phœbus
 suppeditat, ita hic toti Academiæ suæ erudita & recondita juris
 monita. Vix terram illam institerat, cùm in amorem & favo-
 rem CL^{morū.} illic virorum, ob pulchras animi ingeniiq̄ue dotes, &
 doctrinam clarius splendescentem sine ullo negotio concessit. Est
 igitur verè magnum, virtutis & eruditionis opus agere, utpote
 quod amorem eruditorum conciliat, quod sui admirationem pa-
 rit, quod sui desiderium relinquit, quodq̄ue nos postremò in æter-
 nitatis album introducit. Exemplo sit iterùm nobis noster Rit-
 tershusius; Multos is ibi eruditionis suæ censors & iudices of-
 fendebat, qui non ex affectus sed rei testimonio talem sententiam
 proferebant. Revixisse D. Nazianzenum, quia vivat Rit-
 tershusius, qui in scribendis Græcis carminibus potis sit
 genium & ingenium Nazianzeni ostendere. O digne
 Rittershusi, ut vivas, qui vitam Magno illi Theologo potuisti
 restituere. Hanc laudem, hanc memoriam Ingolstadio extu-
 lit. Cùm .a. per anni spaciū ibi vixisset, non poterat diutius cœ-
 lestis illius animus ex more flammæ surgentis latere, & uni cer-
 tæ terrarum parti continuò adherere, quod humiles &
 & plebejæ animæ faciunt, quæ domi resident, & affixæ
 sunt suæ terræ, ceu glebæ ad scripti coloni, sed animus erat pere-
 grinandi, & aliarum gentium instituta, ritus, moresq̄; ho-
 minum,

minum, formas civitatum introspiciendi, *quæ ex Lipsi*
calculo, incredibile est, ad iudicium & prudentiam quàm
potenter possint. Constituit ergo Austriam & Pannoniæ
regnum perlustrare, vix eas regiones salutaverat, cum ad mu-
nus consilarii, ab illustribus comitibus Salmensibus invita-
batur, quam tamen vocationem honestè repudiavit, non igna-
viæ vitio, non metu laborum, nedum eo nomine quasi nollet ho-
minibus consiliis suis servire, & sed ut in militiâ pugnantium
affectus sunt varii, alios enim inopia incitat, alios præda,
alios odium, alios gloria, omnes tamen amor pro princi-
pe, ita illè etiam amore serviendi studiosæ juventuti, totique adeò
literarum orbi incitabatur, ad quam rem natus educatusq; vi-
debatur. Præterea ob morum suorum ab aulicis discrepanti-
am, aulæ inconstantiam, & mille ibi sese offerentia pericula: E-
xemplo multi cum gemitu præivere ex innumeris Symmachus,
Boëtius, ambo C^{ofs}. Socer & Gener, qui propter ingentem
gloriam suam deterrimos (ut rerum Gothicarum scriptor lo-
quitur Procopius) quosq; in sui invidiam incitarunt, & tan-
dem Regi Theodorico, ut ipsos iniquè occideret, persuaserunt.
Miseram & calamitosam istam fortunæ suæ rabiem lamenta-
bili sanè stylo ipse Boëtius deplorat in Philosophiæ consolatione.
Exemplo itidem Ætius vir fortissimus, qui iniquè per Eunuchos
accusatus, ipsâ Cæsaris manu, alienâ verò fraude periit. Habe-
mus & in nostri temporis historiis, proh dolor! plurima testantia,
certissimum esse in quibusdam aulis axioma, nihil in iis esse con-
stans,

stans, sed semper intervalla & vicissitudines ac casus. Hæc sunt, quæ ipsum ab aulâ deterruerunt, ut ipse testis est in pulcra illâ Elegiâ ad Joân. Trudisium Secretarium Salmensem ita dicens:

Non facit ad mores aulica vita meos.

Non ego magnatum didici captare favorem

Qui fragilis vitro non minus esse solet.

Post Moravia & Bohemia regna Germaniæque nostræ provincias nonnullas peragravit. In quâ suâ peregrinatione semel ignobilis fortuna furorem sensit, in summum enim & Trojanum casum, sibi que penè fatalem incidit Anno. n. 1587. in Mæno navigans, quidam dæmoniacus navigium conscenderat, ubi à Sathana correptus, horribiliter, stentoreâ planè voce simul exclamans, toto corpore lintrem jactabat, ut in utrumq; latus impelleretur, ac vix à tribus valentissimis hominibus, quo minus submergeretur conservari posset, ibi certè in tanto periculo constitutus fuit, ut in ipso mortis limine hæreret, & vix quatuor digitis (quemadmodum in jubileo suo loquitur) à morte esset remotus. Quin & in adolescentia sua non semel in aqua periclitatus est, in primis verò ætatis XIV. die Michaelis ex profluenti Ocræ Brunsvigam prolabentis, singulari DEI consilio extractus. Videmus hic, ô dolor! ô miseria! casus humana nostræ conditionis, qui etiam affligere nostrum meditabantur, verùm, quia fata ipsum in auxilium & asylum studiosæ juventutis & multorum aliorum subornaverant, horum injuriam evasit. Pro quibus liberationibus pio affectu, DEO, anno ætatis 50. publicè gratias

gratias egit. Perfunctus suâ peregrinatione Altorphum Anno
M. D. XC. I. rediit. Inde Basileam, quæ Honoris templum
dici meruit, ibi postquam eruditionis suæ præclara exhibuisset
specimina, & Cti insignia publici consensus deferebant, Obierat
interim Altorf I, insigni istius Academia detrimento, nobilissi-
mus quidam antecessor, hujus certè, ut debuit, obitum deplo-
rabat, misera & viduata suo Papiniano Academia Norica,
nec lacrumis finem facere decreverat, donec alium videret suc-
cedentem. Misertus tandem Academia suæ Senatus Noricus,
de alio digno successore cogitabat. Vocatus idcirco noster
Rittershusius, & primo Institutionum, post P A N D E-
C T A R U M Successore electus. Huic suæ Professioni sic præ-
fuit, ut multum hinc utilitatis ad studiosam juventutem mana-
ret, ad consilia à Nobilissimâ Republ. Norica vocaretur, ut
apud exteros gloriam compararet, ut à quibusdam Rebuspubl.
ad honorem Consilarii, à quibusdam Academiis, ad juris Civilis
Professionem sat splendidis stipendiis invitaretur, ut amorem à
CL. Collegis & Auditoribus consequeretur. Imò, ut ne unus
quidem, nisi forsitan improbus inveniretur, qui in eo quid deside-
raret; Scripsit interea temporis nonnulla etiam in Jure opera,
Partitiones, nimirum, Feudales, doctas in sententias Pauli
notas, commentarium in Novellas, qui lucem quidem non-
dum vidit, sed à multis anxie omninò exspectatur, & multa a-
lia. In reliquis scientiarum partibus plurima quoque edidit,
Oppinianum, videlicet, Paraphrasi, & eruditissimis com-
menta-

mentariis illustratum, de quo scripto, Jos. Scaligerum Ful. Cas. F. summum ingeniorum censorem quōdam dixisse ferunt, illo, nempe nec melius, nec divinius quid fingi potuisse. Guntherū item Poetam sui seculi facile principem exulantem & relegatum, cum luculentissimo commentario in terrā lucemq; quasi reduxit: Imò ille ipse Novus Hercules multos vetustos, & hactenus seculi vitiō proscriptos auctores liberavit, dignitatiq; suæ vindex adseruit. In Tiraquello Magno Icto, & in omnibus penè scientiarum particulis admiraculum usq; erudito, THUANUS Nobilissimus nostri temporis Historiarum scriptor admiratur, quod ille singulis annis singulos libros & liberos Reipub. dederit; Acquiescite. Noster, absit invidia dicto, singulis annis quibus scribere incepit, non unum, sed plures protulit. Sum equidem optimam, ô Rittershusi, laudum tuarum segetem ingressus, quomodo a. inde egrediar nescio; præsertim, si altiori mente in eas contemplationem iniicio, videor mihi te ad arcana virtutum doctrinaq; mysteria omnia penitus admissum. Quare in transitu, & per Satyram paucula, quia multa de iis non licet, dicam. Utq; à Virtutum Reginā exordiar: Pietatem nimirum, videbatur ea domicilium suum in nostri Rittershusi animo constituisse, non enim superficialiter & persunctorie, credite mihi OPT. MAX. Auditores, eam tractabat, sed toto animi impetu, hoc UNUM, hoc SO- LUM agendo exercebat: hinc in omnia sanctorum patrum scripta singulari pietatis favore & fervore ferebatur. Illinc LEXICON illud dictorum patrum, divinum sanè opus natum, dignum quod posteritas admiretur, illud v. adhuc in Bibliotheca sanctè ser-
C
vatur.

vatur. Ceterum nonnullos sacros scriptores, notis suis illustratos, luci commendavit. Inter illos Salvianus Episcopus Massiliensis, quem annalium Ecclesiasticorum author, sui seculi Jeremiam, Gennadius Episcoporum, Noster verò orbis Christiani Magistrū honestissimis ellogiis indigitant. Latuerat hic LXXX. annos in densissimis tenebris; venit tandem hic noster, post Gennadium, & Petrum Pithæum Ictum, ipsumq; resuscitat, pulcrisq; notis exornatum, vivere denuo imperat. Dedit & Isidorum Pelusiotam, librò Epistolarum quartò auctiorem; opus immortalitate dignissimum, in quo bibliothecæ BOICÆ beneficio adfectus tanto est, quod nusquam se dignis sat laudibus efferre se posse dictitare solebat. Edidit Psalmos paraphrasi venustissima, seu purpura exornatos regia: edidit Prophetas minores, elegantissime redditos, sunt & alia præterea quæ emisit docta in sacris scripta, verum quia nemini non nota sunt, recensere ea super sedemus. Hanc ejus studiosam pietatem seri nepotes ad cælum usque attollent, quod in tanta occupationum mole tot authoribus vitam & nitorem, tanta cum perenni laudis nomine reddere potuerit. Magnificandum, me Hercule! hoc nobile pietatis exercitiū, quod enim ancora navi, quod mundo sol, Gentium Diis Juppiter, id homini pietas est. Orarum nostri seculi exemplū! At noster in super Juris peritia vel præcipue censebatur, quotidie n. ferè de rebus magni momenti consulebatur, quos ille veluti oraculum aliquod, suarum ante rerū incertos compotes mox consilii reddebat, adeò ut nihil in eo desiderari diceretur, imò & exteros in sui admirationem raperet. O Felicem, qui perfectam illam & solidam

Iuris-

*Jurisprudentiæ nobilitatem acquirit! Feliciorem longè, qui eâ re-
 etè utitur! Ipse quidem Justitiam tanquam Jcto propriam, adeo
 colebat, ut de ejus exercitio neglecto, minimè accusaretur; Uni-
 cum hoc in consiliis suis quærebat, ne Justitia læderetur, ne sacro
 sanctarum legum sinceritas violaretur, statuebat n. non sufficere
 homini leges habere in tabulâ tantum scriptas, illarumq; scientiã
 apprimè cognitã, sed unum esse necessarium, scientiæ nimirum
 ejus non interruptum aut intercisum exercitium. Unde non male
 nostri seculi Jctus quidam non incelebris, Henningus Göden Ger-
 manus: Legem sine executione sive exercitio, esse veluti
 campanam sine pistillo Non deniq; patiebatur se corrumpi
 auro, aut argento, non iis omnibus quæ mortales prima ducunt.
 Cumq; talis esset, inter primas tamen ejus virtutes, conspicua
 erat, & eminebat HUMANITAS, quæ uti Principem clemen-
 tiam decet, sic illa doctum. Illà omnes præsertim peregrinos &
 eruditos, qui fores pulsabant cottidie ultraneã προδομια benignè
 excipiebat, illos humanissimè in amoris sui penetrabile admittebat,
 illis consiliis, libris, literis, & quocunq; modo poterat inservie-
 bat. Quid? si quando peregrinus, sive inquilinus ipsum in-vise-
 ret, erat gratissimum, cumq; eo familiarè & eruditum sermonem
 miscebat. Nemo ab eo non abiit doctior? melior, nemo - non pru-
 dentior? nemo - non disertior? de hoc Clarissimi ipsius Collegæ fi-
 dem facere possunt; nemini unquam, nisi gravissimis negotiis
 impediretur, aditum ad ipsum interclusum fuisse. Hic summus
 ergà literatos amor, per totam Europam Rittershusi famam &
 nominis gloriam celebravit. Supererat hæc quoq; in scribendis li-*

teris rara humanitas, quæ planè videri poterat modum excessif-
 se, cum in tantâ occupationum mole, neminem unquam volens
 quidem & sciens neglexit, quin ad literas qualescunq; responde-
 rit. Advolabant autem ex omni penè dicam terrarum parte in-
 numerabiles literarum fasciculi, cum quibus ille paria faciebat.
 Habebat quippe in locis maxumè remotis & dissitis eruditionis
 suæ admiratores, eosq; maxime, qui inter eruditos familiam hoc
 seculo ducunt, è quorum plurimis paucos lubet in medium produ-
 cere. Scaligerum, Caufabonum, Lipsium, Thuanum, Bon-
 garfium, Dufas, Heinsium, Lectium, Ortelium, Cante-
 rum, Freherum, Gruterum, Stenium, Simonium, Coth-
 mannum, Camerarios, Remum, Caselium, Blotium, Vel-
 serum, Hæschelium, And. Schotum, & innumeros. Et
 quid multis? literatorum floris literæ ad eum scriptæ etiamnum
 supersunt. Cæterum omnium virtutum Rittershusi velle per-
 fectum commentarium scribere non nostrū. Sufficit nominis ipsi-
 us æterna gloria statuam erigere, trophæum statuere; sufficit per-
 petua ipsius memoria. Immortale ergò hoc Virtutis & Eruditio-
 nis suæ obtinuit EPITAPHIUM, fuisse Antiqua & Ro-
 mana virtute; fortia enim facere & pati Romanum est.
 Cum v. rerum humanarum ea cōditio sit, ut nihil in iis diuturnū,
 nihil constans, præsertim in iis quæ ad sublimitatem & perfectio-
 nem suam pervenerunt. Difficilis n. inquit Paterculus, imper-
 fecto mora est, naturaliterq; quod procedere non potest,
 recedit. Inde factum tandem est, ut tabe quoq; laborare cœperit,
 Rittershusius noster, quæ medici tentarunt omni studio curari,
 sed

sed pertinacia morbi, & vinū imbecillitate aegri frustra. Morbum hunc aequo ipse animo, imò aequissimo ac planè invicto quidē tulit, interim tamen nihil quod ad studiorum suorum contentionem pertinebat, intermisit. Erat in suo aegro corpore sanior mens. hinc malum illud vincere certabat, verum, proh miseria! victus. In hoc morbi certamine ille corpus suum non reliquit, sed ab illo relictus. Paucis diebus, uti memini, cum à mortalitatis lineis non longè abesset, eum dixisse ferunt, se in votis habere adhuc, ut possit librum quem ab amico quodā acceperat plegere.

Tantum adhuc in ipsissimis mortis vestigiis scientiae fervorem sentiebat, quantum vix credo, sensisse in ipsis aetatis suae elementis. Hoc cum audivi recordatus Juliani Icti, jam jam è vitā discessuri, qui dixerat: se discere velle, etsi unum pedem in sepulchro haberet. Et de Romano Satyrico Petronio legimus, eum non nisi inter dulces versus expirare voluisse. Obiit ergò noster, in ardente Pietatis fervore, mense octavo, VII. Cal. Jun. AETATIS, quam precisè complevit. LII. Professionis suae XXI. incomparabilis vir, Antecessor Graecae linguae callentissimus, Poeta Eruditissimus, Orator & historicus atq; Philosophus, omnium lacrumis elatus collegarum, amicorum, deniq; publicā omnium Eruditorum querela, qui nemini gravis, nemini iratus nisi vitis. Abiit relictā viduā, Catharina Holtschuchia, cum quidem ex primo matrimonio suscepisset novem proles, ex quibus tres filii superstites, filiae duae. Prima uxor Helena Staudneriana, Antistite olim Sulzbacensi nata: altera Doctore Pancratio Holtschuchio. V. CL. Papenbergensis praepositurae administratore,

quæ quidem hic delibasse oportuit. Ad pedes v. tuos cum stetimus
 Rittershusi, satis spectaculi tua mors nobis fuit, perpendi-
 mus ibi communem nostram & publicam miseriam, tuoq; nomi-
 ne flevimus, quod sublimis Eruditionis tuæ splendor terræ tradi
 debeat. Cæterum nobis & omnibus cogitandum inexorabile hoc
 Fatorum esse decretum, ut cum mundum intraverimus ite-
 rum exeamus, & certissimum, ubi nobis semel vita conti-
 gerit, postea mortem restare. Hactenus ergo Rittershusi
 nostri & vitæ & virtutum seriem, pro ætatis nostræ modulo, de-
 lineavimus potius, quàm descripsimus, ad secreta n. illa, & intima
 penetrare non licuit. Ignoscite. Quod reliquum est præpotenti DEO
 nostro supplicibus animis devote supplicamus, ut defuncti sub-
 sellium auctoritate & consilio Senatus Norici alio digno succes-
 sore suppleat, & nostram impropterum Academiam vulnerare
 clementior desinat. Auferat iræ tuæ inclementiam, tristissimus
 Philosophi & Medici excellentissimi D. Ernesti Soneri casus,
 quem nuper adeò misera Academia hæc deploravit, & modo
 subsecutus Rittershusi, geminoque hoc vulnere quod nobis in-
 flixisti, contentus sis. Remitte quæso & dimitte clementissime
 DEUS, & Academiam hanc in tutelam tuam omnipotentem
 recipe. Ad extremum vobis, Nobilissimi & Amplif-
 simi Academiæ nostræ Curatores, Magnifice DN. Re-
 ctor, Generose DN. Baro, Clarissimi & Excellentif-
 simi DN. Professores, hospites gratissimi, vobis denique,
 Nobilissimi & doctissimi juvenes amplissimas gratias ago, quod
 hunc

hunc mihi honorem habere, & me benignè audire decreveritis. Ego, quodcunq; in me erit, quo aliquando deservire possum, omne id vobis consecro. Nunc sicut conclamamus, nunc piis manibus valedicimus.

V A L E E R G O, E T N O B I S Æ T E R N Û M, R I T T E R S - H U S I S A L V E, P I I S S I M A A N I M A, n e c n o s t r a h Æ c r u d i v o c e l æ s u m t e p u t a. V i v i s & v i v e s q u a m d i u a l i q u i d h u m a n i e r i t, q u a m d i u h o m i n i b u s s e n s u s s u u s v i g e b i t, q u a m d i u v i r t u t i b u s h o n o s, u s u s l i t e r i s, q u a m d i u m e m o r i æ m e m o r i a e r i t, q u a m d i u h o n o r i & g l o r i æ p r e t i u m, t a m d i u i n g e n i u m t u u m s u b l i m e, v i r t u t u m t u a r u m c e l s a m g l o r i a m & n o m e n i n d e l e b i l e i n a c t i s æ t e r n i t a t i s c o n s i g n a t u m v i d e b i m u s.

D I X I.

RECTOR



RECTOR
 ACADEMIÆ
 NORIMBERGENS.
 ALTORF. LECTORI
 BENEVOLO SALUTEM.

UTinam verò, atque iterum utinam liceret nobis
 supersedere hoc programmate, adeoq; frui et-
 iamnum jucundissimo conspectu, & doctissimis
 colloquiis Viri incomparabilis. DN. Cunradi Rittershu-
 sii ICTi. Cæterum, quandò aliter D E O visum, cujus
 consilia exquirere periculosum, examinare verò, aut re-
 prehendere detestabile & exitiosum: obtemperemus
 nos supremi Imperatoris voluntati, qui militem hunc su-
 um emeritum statione tandem suâ decedere jussit: jactu-
 ramq; nostram, quo licet, animo toleremus, cujus sarcie-
 endæ curam jam dudum in Prudentiam & fidem, Incl-
 ytæ Reip. Norib. Nobilissimorum D. D. Scholarcharum
 rejeci-

rejecimus. Defuncti autem memoriam pro meritis ejus in hanc Academiam perpetuare, & ad posteros transmittere unicè satagamus. Hujus nostri instituti interpretem sese obtulit, Generosissimus Adolefcens, & omnibus, quæ bonorum nomine venire possunt, rebus florentissimus, D N. Christophorus Adamus Wenzelik, Baro à Sarabiz in Trisch. Qui, quem vivum coluerat unicè, ejus laudes oratione cultâ & tersâ complecti voluit. Quando verò hoc anno, quibus nescio de caussis, ager Philosophicus exaruit, & senticetum factus est, orationem illam novi Rectoris electioni præmitti posse censuit; nobis minimè dissentienbus: Quanquam enim Panegyricum hoc tempus, tristibus funestari non debeat; tamen non tam tristia hîc peragi credam ego, quam virtuti doctrinæq; sacra fieri: quæ sacra à nostris ordinariis non abludunt.

Quicumq; igitur Magnum illum Virum vivum coluerunt, & indefessum ejus studium, inexhaustumq; doctrinæ fontem, admirati sunt; quicumq; item mortuum lugent, ejusq; desiderio contabescunt: Quotquot denique digni Peplo Herois memoriam amant & venerantur, illi ad crastinæ diei horam octavã adsint in auditorio majori: Opera dabitur à Generoso D N. Oratore, uti neminem vel temporis vel officii pœnitere possit. B V. P. P. Ipso die D D. Petro & Paulo sacro. Anno cIo Io cxiii.

D

AD




AD VIATOREM.

NE mirere bonos absumi morte viator.
 Sic cadere in vernô flos solet altus agrô,
 Sic spinæ semper virides, sic pessima quæq;
 Herbarum læto germine tuta virent.

Sic invisa malis Parcarum fata bonorum
 Pessima conjurant pessimè in exitium.
 Exemplum tumulumq; vides, similiq; memento
 Talia T E propere fata manere modo

*Christophorus - Adamus V Venzelik
 à Sarabiz in Trisch.*



Threnus, in funere

CL. V. CUNR. RITTERHUSI fufus.

OMnia nunc mecum in lacrumas, in flebile murmur
 Mæsta fluant; lamenta mihi gratissima præpes
 Nereidum matri Halcyone, mihi, carmina bustis
 Fusa olim, Philomela, tuis, aut præbeat æquè
 Triste aliquid fatis, Olor, in felicibus usus.
 Pegnesus flavis fluitans, labatur arenis
 Nigris, & mutant pullo arva colore virorem:

Occidit

Occidit ASTRÆ Æcolumen, Decus occidit, eheu!
 Pegasidum: DECUS Hellados indeflebile prisca,
 RITTERSHUSIADES MAGNVS. Sat (credite) dixi.
 Ille, abiit, superosq; tenet: Nos ponè sequemur.
 Hoc opus, hic labor est, adSIDERA tendere rectà.
 Excudit heic calamum manibus dolor, ô dolor ingens!
 Pro versu lessum capsis, madida ora, genasque;
 O RITTERSHVSI: pectus singultit anhelum
 Dum mihi. nam nostro minimè tua carmine fama
 Augescet; Novit TE Italus, TE Gallus, Iberus,
 Sarmata, Te Cimber novit, Te Belga, Britannusq;

AMAVI VIRVM, AMAVI SINE FVCO ET
 Fallaciis, numquàm osurus, Valetè, ô pii Manes ævum.

Scribebam mæstissimus Ἰω̄ παμφιλότητος, νωὶ μακαεῖτη
 CUNR. Rittershusio, Georg. Remus IC. V. KL.
 Jun. cl3. 10: cxliii. Norimbergæ.



DAVIDIS HÆSCHELI
 EPIGRAMMA IN OBI-
 TUM C. RITT, IC.

ΓΝΟΥΣ ὁ Ρίτερσόσιος προκοπῆς ὅτι ἐγκοπή ἔστι,
 Μᾶλλον ταῖς μέσαις ἢ χαείτεσι, θύειν:
 Πᾶς γένει ἐν ἴκτῳ, τὰ νεῶν ἦθη τὲ τρόπος τε
 Εὖ μάλα ῥυθμίζειν, χ' ἐλκέμεν εἰς τὸ δεόν.
 Τῆς γδ' ὄπισθ' ἤμης Νομικῆς μυθήσια δεικνύς:
 Ταύτης, γίγνεσθαι βελλίω οἶδε τέλος.
 Οὐχὶ δ' ἐρκέσθη τούτῳ μόνον: ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν
 Βιβλία πλεῖστα σοφῶν ἤγαγεν ἐς τὸ φάος,
 Ἐξερμηνέων πινυῖως, χολίοις τε ἀέξων,
 Ἡμαῖα καὶ νύκτας τειρόμενός γε πόνοισ.
 Ἐμφιλοτεχνήσασ δ' ἱεραῖς σελίδεσι μάλισα,
 Οὐρανίοισι σωῶν κάλλιπε τόνδε βίον.

AUGUSTÆ VINDEL.



Pia lacruma

Super ejusdem Nobilissimi

CONRADI RITTERHUSI &c. obitu.



Uis mihi lugubreis, funebria carmina, lessus
 Suggestet? aut lacrimas mæstis infundet ocellis
 Amplius, (exhausti nam continuô imbre ne-
 garunt

Pridem undas in verba suas) quis mæsta querenti
 Metra ministrabit casus testantia nostros?

Pura

Pura anima, æternis æternum sidus Olympi
 Junctum sideribus, mortali major honore,
 Sancte RITERSHUSI, quo TE, post fata, dolore
 Prosequar? aut potius meritæ quo laudis honore?
 Hoc equidem vellem, nisi TE Virtusq; Fidesq;
 Candida, & in coctô generosum pectus honestô
 Illaq; multarum spectata scientia rerum,
 In Famæ monumenta æterniq; atria Honoris
 Ante-coronatum meritâ sat laude locassent.
 Nec minus auderem, nisi tantæ pondere molis
 In mediis laudum pressas conatibus, ægrè
 Prospiciam nostras subsistere posse Camenas.
 Quid mihi relictum videam, nisi suspiratus
 Mæstaq; bacchantis stupidô sub corde doloris
 Signa querelarum plenissima verba mearum?
 Occidis hà rerum columen partusq; Camenis!
 Qui veluti dubias mediô ruit æquore nautæ
 Aut Helice aut Cynosura rates, aut dextra vialis
 Tegæi cæcô Labyrinthi tramite sectum
 Signat iter; studiis potuisses optume, nostris
 Prælucere facem, inq; suam deducere metam.
 At nunc illa jacent nempe intercepta! carina
 Sic nautas deserta suos, aut condita nautæ
 Sidera quærentes mediis in fluctibus errant;
 Sic ego TE quæro ereptum carissime rerum,

D 3

Et



Et quando superesse nihil mihi cerno, beatos
 Flebilibus manes posthac maetabo quotannis
 Inferiis, tumulumq; struam, lacrumisq; rigabo
 Pensileq; affigam carmen: spes nostra sepulta est
 Immo et Cura Dices, Virtus, Candorq; Fidesq;
 At tibi qui nulli in vivis gravis ante fuisti
 Nec fit terra gravis, caelo mens laeta quiescat.

GeorgI Gualtheri Lips.

F I N I S.





IN ORATIONEM FUNEBREM

CUNRADI RITTERSHUSI
ICTI CELEBERRIMI HABITAM A GENE-
ROSO ET MAGNIFICO D. CHRISTO-
PHORO-ADAMO VVENZELIKIO
à SARABIZ IN TRISCH.



Ristia præpediunt linguam si fata disertum,
Si elinguem & mutum mors truculenta facit:
Quid RITTERSHUSI mors heu lugenda Lyceo,
Mors passim doctis flenda bonisq; viris,
Quid tibi cur linguam exacuit, redditq; disertum
WENZLIKI illustris flos generose domus?
Indoles id ne facit meliori consita agello,
Virtutumq; brevi fertilis illa seges?
Anne amor ille tui, succensus pectoreq; ignis
Doctrina meritis fama & honore pari.
Neutrum excluderim ego, neq; tu me excludere velles
Aureus eloquii fons fluit inde tibi.
Maeste esto hoc animo, WENZLIKI, hac indole maeste,
Quæ de te spondent omnia summa viro.

A 2

Tu



OK Th 8931

Tu Rittershusi vero nunc reddite Divis,
Præcone hoc laudis perfruere usque tuæ,
Si tibi nostrarum superant commercia rerum,
Post cineres famæ si tibi sensus inest.

*Honoris & Observantiæ ergo F.
Michael Piccartus Fr.
Prof. Noricus.*

Pulcher-

1077

me



Q. No. 526, 32.



CH
RI-A

Consecr

CONR
Jcti, A

ALT



Vivo D. Henric
15 di P

m. II, 489



amico
15 di P

